

*Pontificios Maldonatus*; nihil tamen probare possunt, quia *δοκῆν* non semper falsam opinionem denotat; ut, cum dicitur I. Cor. IV. 9, *δοκῶν*, Deum nos Apostolos spectandos proposuit, C. VII, 40, *δοκῶ* & me Spiritum Dei habere, imprimis Act. XV, 28. Ἐδοξε ἀγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν. Neque quoad verba nostra Johannea necesse est dicere, quod Christus in illis reprehenderit *Judæorum* assertionem, cum illi ex propria sententia ad legitimum Scripturæ scrutinium quam optimè adigi possent. Ideoque priori adversario B. noster *Franzius in Vindic.*, quas allegat *Prückner, ad. b. l.*, posteriori B. *Seb. Schmidius Coll. Bibl. post. p. 3.*, accuratè satisfecit. Nimirum, cum non adducatur à Johanne falsa hypothesis *Judæorum*, quod per ceremonias Mosaicas, in Scriptura V. Tti exhibitas, vitam æternam obtinere cogitaverint, ceu falsò existimat *Maldonatus*; sed tantum, quod existimarent, vitam æternam, in Scriptura promissam, nullo alio medio quam sola Scriptura S. obtineri posse, nihil occurrit quoad illa verba reprehensione dignum.

§. 5. Huic rationi alia, necessitatem scrutandi non minus fortiter insinuans, jungitur; quando Christus de Scripturis S. ait, *ἐκείναι εἰσὶν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ*, ubi facilè intelligitur, testari Scripturas de Christo, quod revera talis esset, qualem semet hactenus in oratione sua erga Judæos vocaverat, scil. Deo æqualem, atque vite æternæ causam. Quam perspicuum sit hoc Scripturæ V. Tti de Jesu testimonium, facilè perspicit, qui considerat: doceri in Scriptura veram Christi Deitatem Jer. XXIII. 6, à DEO Patre generationem, Pl. 2, v. 7. & Prov. XXX, 4. nec minus veram incarnationem hujus Filii Dei, Jes. IX, 6 *nativitatem ex virgine*, cap. VII, 14, & quidem *Bethlebemi*, Mich. V, 2, nominato ejus *precursore*, Malach. III, 2. adductis *miraculis* perpetrandis, Jes. XXXV, 6. & *predicatione* Evangelica, Jes. LXI, 1. cap. XLII, 1. seq., nec minus *passionibus* pro genere humano exantlandis ac morte Jes. LIII, 3. seq. Dan. IX, 26, speciatim *perossione, crucifixione & vestium divisione*, Zach. XII, 10. Pl. XXII, 17. 19, subsecuto eventu *latissimo*, Jes. LIII, 11. seq., & *regno nunquam interituro*, Dan. VII, 14, *converso*  
ad